







DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
SUPPLICIO CAPITALI ET POENIS  
INFAMANTIBUS E CIVITATUM  
FORIS PROSCRIBENDIS.

QUAM  
CONSENTIENTE ILLUSTRIS JCTORUM ORDINE  
PRAESIDE  
VIRO ILLUSTRIS ET CONSULTISSIMO  
DOMINO

CHRISTIANO THEOPHILO  
GMELIN.

J. U. D. ET PROF. PUBL. ORDIN.  
SERENISSIMI DUCIS WIRTEMBERGICI CONSILIARIO,

PRO GRADU DOCTORIS

RITE OBTINENDO

PUBLICE DEFENDET  
AUCTOR

FRIDERICUS CAROL. LUDOV. TEXTOR

MOENOFRANCOFURTANUS.

TUBINGÆ

Die Septembris MDCCXCIX.

TYPIS REIS- ET SCHMIDIANIS.

*Christ. Gmelin  
poenae*

158

1799, 2.

20





DISSENTATIO IN IURISPRUDENTIA JURIDICA  
DE  
SUBLATIO CAPITALE ET POINIS  
INFRANCTIBUS E CIVITATUM  
FORIS PROSCRIBENDIS

QUAM  
CONSTITUTIO REGIUM ORDINE  
P. S. I. D. E.  
VNO LEGIS ET CONSULTATIO  
D. O. M. M. O.

CHRISTIANO THEOPHILUS  
GABRIEL  
P. S. I. D. E.  
P. S. I. D. E. W. I. T. M. P. S. I. D. E. D. O. M. M. O.

P. S. I. D. E. D. O. C. T. O. R. I. S.  
P. S. I. D. E.  
P. S. I. D. E.

FREDERICUS CAROLUS FRIEDRICH FRIEDRICH  
P. S. I. D. E.

P. S. I. D. E.  
P. S. I. D. E.

P. S. I. D. E.





INCLYTAE ET PERANTIQUAE STUDIORUM  
UNIVERSITATIS TUBINGENSIS

*MAGNIFICO DOMINO*

R E C T O R I

*REVERENDISSIMO DOMINO*

CANCELLARIO

UT ET

TOTIUS SENATORII ORDINIS

PATRIBUS CONSCRIPTIS

V I R I S

PERILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS, SUMME REVERENDIS,  
CONSULTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS,

PATRONIS SUIS OMNI JURE COLENDIS

DM. DM. DM.

*HAS STUDIORUM ACADEMICORUM PRIMITIAS*

SUBMISSA MENTE, DAT, DICAT, DEDICAT

TANTORUM NOMINUM

CULTOR PERPETUUS ET OBSERVANTISSIMUS  
AUCTOR.



INCEPTE ET PERANTIQUE STUDIORUM  
UNIVERSITATIS TURINGENSIS

MAGNifico DOMINO

R E C T O R I

REVERENDISSIMO DOMINO

CANCELLARIO

ET

TOTIUS SENATORII ORDINIS

PATRIBUS CONSCRIPTIS

VIRIS

REVERENDISSIMIS, MAGNIFICIS, SINCERE REVERENTIBUS

CONSULENTIBUS, EXEMPLARISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS

PATRONIS SUI OMNI JURE COLENDIS

DE. DE. DE.

HAS STUDIORUM ACADEMICORUM PRIMARIAS

SUBMISSA MENTE DAT. DICAT. DECAT.

TANTORUM NOMINUM

CULTOR REPERTUS ET OBSERVANDUS

AUSTOR






## PRAEFATIO.

Quamvis satis magna sit auctorum, qui hanc materiam tractaverunt, cohors, hujus tamen dissertatiunculae scriptori, e re visum est, hoc thema seligere, cum imprimis animadverteret, ab utraque parte, eorum scilicet, qui defendunt et eorum, qui oppugnant poenas capitales et infamantes, nimium excedi, dum veras defensionis naturalis et poenae in statu civili notiones negligunt et confundunt et vel ob levissimam quamcunque salutis publicae aut concivis violationem illas admittunt, vel et jus perduellibus in civitate vitam adimendi omne denegant. Quo in elaborando multum se Ill. Viris, Praesidi et J. F. MALBLANG, praeceptoribus suis maximo opere venerandis, nec non celeberrimo J. C. G. SCHAU-MANN et amico erudito et populari P. J. A. FEUERBACH et innumeris aliis juris naturae scriptoribus, debere animo gratissimo auctor publice profitetur. Ceterum in hac tractanda materia sic versabor, ut primum jura esse alienationi non obnoxia et in hunc censum vitam quoque venire demonstrarem, deinde haec jura absoluta non tolli civitatis societate inita sed potius civitatem illa defendenda



fuscipere et hac ex parte poenas capitales consideratas iam appa-  
rere injustas. Post quoque fini et notioni executionis poenarum has  
poenas esse contrarias ostendam, et denique, quaenam poena sit  
substituenda, docebo. — Sin huic scriptiunculæ, ut in publicis  
ephemeridibus de ejus pretio vel vilitate judicetur, inopinato tam  
felici esse contingeret, in fine hujus praefationis, ad eam recte ju-  
dicandam auctor hoc unicum monet: se doctrinas quasdam hic  
concurrentes leviter tantum tetigisse, quantum ipsi vel ad poena-  
rum capitalium injustitiam probandam, vel ad demonstrandam ear-  
um cum sanæ politicae regulis pugnam conferre visæ sunt.





CONSPECTUS.

---

- SECTIO I. *De hominum juribus alienationi non obnoxiiis.*
- SECTIO II. *Probatur, jura illa a civitate defendenda suscipi et ergo non tolli civitate inita, sed potius illaesa reservari.*
- SECTIO III. *De delictis et legibus poenalibus earumque fine.*
- SECTIO IV. *Omnis executionis poenarum finis in capitali supplicio et in poenis infamiae notam infligentibus necessario cessat.*
- SECTIO V. *Capitale ergo supplicium nec non poenae infamiae notam inurentes e civitatibus foris sunt proscribenda.*
- SECTIO VI. *In qua disquiritur, quaenam poena capitali sit substituenda?*
- 

SECTIO I.

*De hominum juribus alienationi non obnoxiiis.*

§. I.

**J**ura absoluta ea esse dico, quae naturae hominis sentientis, cogitantis et moralis sic sunt innata, ut iis sublati omnis hominis personalitas, ut hoc verbo utar, cessaret, homo persona esse desineret, et in rerum censum deiceretur. Ex quo homini horum jurium do-



minio se abdicandi jus non competere, prono fuit alveo. In hunc censum vitam quoque, praeter libertatem, honorem et alia jura absoluta, quorum enumeratio plena dari non potest, referri debere, inde apparet, quia vita tantum horum jurium exercitium mihi praebet, et ego, vita sublata, in mundo sensibili esse desino. —

## §. 2.

Probatio, haec jura vere existere et non esse phantasma quoddam philosophorum, jam §. praecedenti nititur. Tollas enim e. g. jus conscientiae libertatis, jus honoris externi et interni, jus libertatis, jus aequalitatis \*) et caetera jura connata, homo qua homo, privatus personalitatis caractere, existere jam non potest et pari cum animalibus gradu ambulat. Quamvis vero homini jura alienationi non obnoxia sint data et concessa, sunt tamen, qui ea jura revera hominibus competere negent \*\*).

## §. 3.

Argumenta pleraque contra haec hominum jura absoluta adversarii in *experientia* quaerunt, quae a philosophis, qui argumentis a sana ratione ductis utuntur, sine omni labore reproban- tur et refelluntur. Sic dicunt adversarii: nulla adhuc existat civi-

\*) Invidia absit his verbis, quae, quantis hodie abusibus subjaceant, omnibus constat.

\*\*) Cfr. Scriptum cui titulus. Ueber die einzig möglichen Beweisgründe gegen das Daseyn und die Gültigkeit der natürlichen Rechte. Leipzig und Gera 1795. 8. cujus autor est doctissimus amicus et popularis P. J. A. FEUERBACH philosophiae et J. U. Doctor celeberrimus, qui omnia contra jura absoluta argumenta prolata optime collegit.



tas, in qua illa jura absoluta valent, ergo haec jura sunt tantum philosophorum phantasma. Sed quid hoc, si vel verum sit ad nostram thesin pertinet, esse jura hominum absoluta. Si enim omne id esset justum et verum, quod qua verum et justum in civitatibus valuit, tunc quoque esset justum: furtum et adulterium committere, homines personalitatis caractere a caeteris animantibus distinctos sub servitutis jugum mittere & quae sunt hujus generis plura \*). Operae pretium non esse ducimus in illo argumento refellendo, quod nec ullo solido nititur fundamento, diutius nos morari, sed potius ad alias adversariorum exceptiones contra jura absoluta transeamus.

\*) Sic jam sensisse Ciceronem ille locus praeclarus in libello aureo, qui inscribitur de legibus, occurrens, L. I. cap. 15. evidentissimis evincit rationibus: dum ait:

„Est unum jus, quo devincta est hominum societas et quod lex constituit una. Quae lex est recta ratio imperandi et prohibendi; quam qui ignorat, is est injustus, sive est illa scripta usquam, sive nusquam”

Et alius locus *ejusdem* itidem occurrens in libello de legibus, L. I. cap. 16. qui sic sonat:

„Quod si populorum jussis, si principum decretis, si sententiis judicum jura constituerentur; jus esset latrocinari: jus adulterare; jus testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. Quae si tanta potestas est stultorum sententiis atque jussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur; cur non sanciant, ut quae mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis ac salutaribus? -aut cur, cum jus ex injuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? Atqui nos legem bonam a mala, nulla alia nisi naturae norma dividere possumus.

B



## §. 4.

Alii opponunt: \*) omnibus hominibus communis ratio a natura est data et concessa et tamen, si quaestio oriatur, an sit quid justum nec ne? sic varie sentiunt. In altera civitate aliquid est justum quod in altera quam maxime est injustum. Si ergo ex ratione humana haec jura absoluta descenderent, vox unanimes esset quoad illa, eorumque de existentia nemo dubitaret. Prima quidem specie fateor, speciosum esse hoc adversariorum argumentum. Sed respondemus: primum adversarii, si haec jura absoluta negant, eo ipso rationem humanam a natura homini recusatam esse dicunt et ex iis quae jam in praecedentibus exposuimus refelluntur, deinde, quis nescit, quantum educatio, civitatis forma, in qua quisque vivit, consuetudo et vivendi modus, ad omnem sensum naturalem ejus, quod est justum et injustum suppressendum valeat? Quam saepe fit, ut nonnulla positivarum legum instituta justissima esse putes, quia ab incunabilis non aliter quasdam res geri vidisti, quae, si a positivis institutis abstrahas et omni partium studio semoto, tantum ex sanae rationis regulis examines, injustissima sunt. Hoc ergo quoque argumentum contra jura absoluta nil efficit, quum nullo modo experientia, quae tantum ad locum, conditionem et tempus restrictas leges fert aliquid his in rebus decidere possit; non illa enim, sed tantum ratio humana, quippe quae sola leges universales statuit fons horum jurium est, ex quod deducenda sunt.

---

\*) e. g. MONTAGNE in *essais* et MANDEVILLE in opere, quod inscribitur: *the fable of the Bees, or private vices publick benefits*. Lond. 1725. 2 Voll. 8. traduit de l'anglois sur la 6me edition 1740.



## §. 5.

Pari jure ac priori, hoc etiam argumento contra veritatem jurium alienationi non obnoxiorum uti possent, quod sint homines tam obtusi sensus et tanti stuporis ut ne ullum quidem in illis vestigium horum jurium inveniatur, seu, ut potius dicam, in quibus nullus sit horum jurium sensus. Veram hanc esse hypothesein sumamus, exstare homines ejus naturae immo totas gentes et nationes, quae omni tali sensu et cognitione destituuntur; verum id ex principio prioris § quod non experientia sed sola ratio humana fons unicus sit horum jurium refelliur, ita ut ulteriori refutationi suffesedere possimus.

## §. 6.

Satis, ut opinor, argumenta, quae ab experientia deducuntur contra jura alienationi non obnoxia, refutata sunt, superest meminisse adhuc ejus hominum generis, quod quidem talia jura existere, sibi persuasum habet, verum eorum in civitate rationem habere metuit ob mala atrocissima inde in civitatem redundantia quae exemplo finitimae Galliae, in qua florent haec jura absoluta, cujus nova constitutio unice in iis fundari videtur, abunde demonstrari putant, in qua tamen magis quam ullibi et unquam haec jura, velur in vitam et libertatem, ludibrio habita fuisset, lippis et tonsoribus notum est. Verum et his facile respondemus; soli abusus impii, quos hi vel illi forsitan legislatores vel rectores regnorum sibi concedunt vel concesserunt, mala illa gignunt, et jura hominis innata evertunt et innumera illa mala, non inde, quod jura illa hominis inalienabilia servata, sed quod neglecta fuerint originem suam ducere, e contra in omni republica cujuscunque formae, illa sancte recipienda esse, in aperto est.



---

 SECTIO II.

*Probatnr, illa jura a civitate defendenda suscipi et ergo non tolli civitate inita, sed potius illaesa reservari.*

---

## §. I.

Paucissimis verbis haec thesis absolvi potest. In antecedenti sectione hominibus, tamquam natura ratione praeditis, absoluta competere jura vidimus, quae tantum abest, ut civitatis inita forma evertantur et tollantur, ut potius corroborentur et magis confirmentur, quum civitatis forma horum jurium securitatis causa ineatur. Si enim aliter statuere velis, homines in statu naturali, personalitatis caractere distincti, civitate inita, ad *rerum censum* dejicerentur, cum brutis pari passu ambularent, et civitates nullo modo hominibus ratione ornatis, sed potius animantibus feris consistenterent, quae omnia dicere, imo cogitare absurdum et in civitates injustissimum foret. Nostra hoc loco constituta thesis simul quoque nobis justam *civitatis* definitionem offert: nempe illam: *civitas* est: societas inaequalis ad jura absoluta defendenda et tuenda inita; *Societas* nempe est: conjunctio plurium hominum ad finem quendam non transitorium consequendum, quae prout omnes focii pari potestate gaudent vel eadem sunt destituti et in imperantem et subditos dividuntur, vel *aequalis* vel *inaequalis* est.

## §. 2.

Jam nunc dissertationem nostram absolvere possemus, quum jura esse absoluta, nulli alienationi obnoxia, in hunc censum vitam quoque et honorem venire, eaque in civitate non tolli sed



potius illaesa reservari et inde poenas capitales et infamiae notam delinquentibus infligentes in civitate esse injustas probavimus. Sed quoque ex poenarum executionis fine, omnes has poenas necessario cessare ostendemus. Transeamus igitur, sat exhausta praesenti sectione, ad sectionem novam, quam sic inscribimus.

---

SECTIO III.

*De delictis et legibus poenalibus earumque fine.*

---

§. 1.

**D**elicta et poenas praesenti in sectione, in tantum nobis tractare, quantum ad finem facit nostrum, in animo est. Nemo ergo plenam aut ullam delictorum enumerationem et quae sunt talia, a nostro sine aliena expectabit.

§. 2.

*Delictum* est omnis legis externae poenalis libera violatio et inde a peccato, quod est legis moralis violatio nec non a vitio, quod est habitus quidam peccata committendi e. g. quotidie vini multitudine ita corpus onerare, ut quoque animi viribus damnum insigatur, facile distinguitur.

§. 3.

*Poena* est malum, quod quis ob legis externae poenalis violationem patitur et distinguitur. 1) *a defensione*, quae tantum ad futuras sed tamen instantes respicit laesiones easque avertere stu-



det 2) a *praevensione* quae metuendas laesiones impedit, dum praeveniens laedere volentem mediis ad laedendum aptis privat et quoque ad futura tendit, quum, ut tantum ob praeterita mala infligatur, poenae character distinctivus sit. 3) a *vindicta*, quae a laeso, tantum eum in finem laedenti infligitur, ut is mala, ob mala laeso illata sentiat, et id tantum eum poena commune habet, quod ad praeterita quoque tendat, sed per animum ulciscendi, qui non est in poena, distinguitur 4) a *castigatione*, quae non tantum, ut in poena, ob facta illicita praeterita et ut haec facta omitantur, sed etiam eum in finem, ut subjectum ad facta legalia determinetur, illi infligitur.

§. 4.

Nunc ipsi delicti et poenae definitioni enucleandae manus admoveamus. Delictum esse legis externae poenalis liberam violationem diximus. Lex poenalis est illa, quae qualicumque delicto qualemcumque poenam infligendam continet. Porro delictum esse, *externae* legis poenalis violationem supra ostendimus, et hoc omnino recte. Lex enim externa poenalis factis illicitis poenam minatur et facta tantum sunt objectum jurisprudentiae, quatenus de justo vel injusto, licito vel illicito quaestio incidit. Inde cogitationis poenam neminem pati, quod Jureconfulti jam romani ex l. 18.  $\pi$ . de poenis statuerunt \*) et peccata, quae qua internum tantum, lex moralis

\*) Nonnemo legem satis cognitam Imperatorum ARCADII et HONORII nempe 5. C. ad legem Juliam Majestatis nobis obvertere posset: in quo dicunt Imperatores: „eadem enim severitate voluntatem sceleris, qua effectum, puniri jura voluerunt” sed quisque statim videt, hoc loco non de cogitationibus, sed de attentato delicto, nondum perfecto ferromem esse susceptum.



i. e. Deus et cujusque conscientia curat, nec esse posse jurisprudentiae objectum, prono fluit alveo.

§. 5.

An ex juris naturalis principiis poenae et delicta locum habeant nec ne, quaestio incidit nova? Id ideo, quia delicta sunt facta illicita contra leges poenales et haec in statu naturali deficient negare posse putamus. Omnia enim in statu naturali ad laesiones, quae sunt invasio in  $\tau$  suum alterius, reducuntur, et haec, antequam fiant per defensionem et praeventionem, si vero sunt factae, per coactionem i. e. per restrictionem licentiae alterius avertuntur et denique ubi est in statu naturali proportio idonea inter poenam et delictum? Semper laesus vindictae furiis agitatus, sine damni dati respectu, etiam cum laedentis caede in defensione et praeventione progreditur \*). Delicta ergo et poenas in statu naturali deficere, sole meridiano clarius apparet. —

§. 6.

Poenam esse malum, quod quis ob legis externae poenalis violationem patitur, supra vidimus. Haec definitio per se patens ulteriori explicatione non eget. Sed nonnullas occasione hujus definitionis occurrentes quaestiones explicabimus. Nempe primo: an civitati legum poenaliu ferendaru jus competat? Deinde

---

\*) Ostendit hoc Consultifs. D. D. MALBLANC praeceptor et patronus quam maxime venerandus in eleganti commentatione, quae inscribitur: „de poenis ab effectibus defensionis naturalis etiam in statu civili probe distinguendis. Altorfii 1779. 4. §. 1.



quis legum poenaliū modus esse debeat? Denique quis sit legum poenaliū finis.

## §. 7.

Civitas, ut supra vidimus, est societas inaequalis ad jura absoluta defendenda et tuenda inita. Quum civitas talis sit societas, quae eum finem, nempe *securitatem* sibi habet constitutum, ei quoque media, ad hunc finem consequendum necessaria, nempe *leges poenales*, dare non solum nobis licet, sed quoque debemus, quum concedens finem etiam media ad finem consequendum necessaria simul concedat, necesse sit. Civitas enim consistit hominibus i. e. naturis non solum ratione humana ornatis, sed etiam sensualitatis legibus subiectis. Ne igitur homines, sensualitatis illecebris capti, plurimis civitatem periculis exponant et jura concivium invadant et violent, ad hoc sensualitatis imperium per poenas legibus sancitas, partim cohibendum, partim evertendum leges poenales a civitate feruntur, ut is, qui sensualitati ita paret, ut civium suorum libertas vel minuat vel prorsus tollatur, se nil lucri a sensualitate ei oblatis inde habiturum sed potius damnum et dolores esse laturum, praevideat. Inde vero furiosis, infantibus et id genus hominibus leges poenales dari non possunt, quia sufficienti ingenii et iudicii facultate sunt destituti et legislatoris voluntatem non intelligunt. Quo majus est periculum civitati ex delicto redundans, quod quantitatem delictorum vocare volumus, eo majoribus incitamentis in legibus poenalibus opus est, ad eum, qui delinquere velit, a delicto absterrendum i. e. eo major poena in legibus poenalibus est imponenda et quo major dolus ex delicto elucet, quod delicti qualitatis nomine insignire liceat, eo major poena esse debet. Inde sine dolo, sed culpa delicta



commissa, poenam quidem, sed tantum extraordinariam, casu vero delicta commissa si talia nominare licet nullam poenam merentur. Cum denique dolus tanquam malum propositum, committendi factum illicitum poenale praecipue in delictis commissis attendi debeat, omni jure certum esse puto, attentatum delictum eandem quam consummatum inferre et mereri poenam, cum in utroque aequaliter malum propositum facto ostendatur, quod cavere lex poenalis intendit, modo id delictum attentatum a mera cogitatione curate distinguas.

§. 8.

Ad aliam jam quaestionem, quis legum poenaliū modus esse debeat, transeamus? In iis ferendis prima et cardinalis lex esse debet ea: ut dignitatis humanae etiam in reo ratio habeatur: i. e. ejusmodi poenis non afficiatur delinquens, quibus infidelis homo esse desineret, et e fastigio humanae dignitatis infra animalia bruta dejiceretur, seu ut brevibus dicam, juriū ejus absolutorum ratio habeatur. Secunda lex esto: inter delictum et legem poenalem sit justa proportio. Quis enim aequo animo ex. gr. ferat; quum in sodomiam concremationis poenam multis legibus statui observat. Quantumcunque fateor, contra dignitatem humanam, ab eo, qui sodomiam committit, peccatur, et quantum ipsius factum naturae humanae adversetur, nulla tamen ratione illam meretur poenam crudelissimam; quum primo periculum ex eo facto redundans sit maxime remotum et delinquens per eam civitate et concivibus nullum afferat damnum, sed sibi soli potius, et cum deinde fons hujus delicti a legislatore obstruendus, praesertim vel deficiens omnino educa-



tio, vel mollities sit, igitur castigatio primo in casu, in secundo vero laborum impositio aptissima poena esset. Tertia lex sit: poenalis lex nullo modo innocentes sed tantum fere delinquentes feriat. Absint ergo confiscationum poenae, absit illa constitutio Imperatorum ARCADII et HONORII cruenta, quae in l. 5. C. ad legem Juliam Majestatis invenitur, et filios innocentes damnat.

§. 9.

Tandem ultimam quaestionem, quis legum poenaliū sit finis, cum ad trutinam vocamus harum finis est, ut, quicumque delinquere animum habuerit, poena in legibus poenalibus constituta a delicto committendo absterreatur, seu, ut aliis verbis utar, ut is, qui sensualitatis legibus contra rationis sanae tenorem parere apud se constituerit, causam in lege poenali a delicto abstinendi impulsivam inveniat.

§. 10.

Ab ipsa autem poena legibus poenalibus constituta quod ad finem sollicite distinguenda est poenae executio, usque ad hoc tempus semper sub poenae nomine apud juris criminalis Doctores obveniens, quae sc. in poena actualiter delinquenti inflicta consistit, cum econtrario poena in lege poenali constituta, tantum sit comminatio in delinquere volentem; distinctio \*) sane non contemnenda et maximi momenti in hac materia, ut in §. sequenti videbimus.

\*) Hanc distinctionem me amici doctissimi P. J. A. FEUERBACH, Philosophiae et J. U. Doctoris debere, scripto auro: Revision der Grundsätze und Grundbegriffe des positiven peinlichen Rechts. Ister Theil, Erfurt 1799. §. 49. et sqq. publice hic testor.



## §. 11.

Finis quippe Legislatoris, seu poenae legibus constitutae, ut in §. 7. exposui, est generalis, sc. omnes abstinere a delictis committendis sine omni respectu ad certum delictum vel delinquentem individuum. Verum executionis poenae finis est is, ut ab eodem delicto iterum in posterum committendo tantum ipse delinquens absterreatur et ut lex poenalis non sit sine effectu et derisoria, nunquam vero ut alii delictis abstineant. Omnem quidem fere juris criminalis Doctorum cohortem mihi esse contrariam, non nescio; sed hi viri doctissimi cogitent, se, homine personalitatis caractere a caeteris animantibus distincto, qua *re* et quasi *machina* uti, si poenam, ad alios a delicto committendo terrendam, infligendam statuunt quum tamen, ut supra demonstravimus, etiam in poena infligenda humanae dignitatis, quam semper delinquens, qui manet homo, retinet, ratio haberi debeat.

## §. 12.

Supereff ut brevibus, quos alii scriptores fines \*) poenarum executionis proposuerunt jam ad trutinam revocemus. Alii damni restitutionem a laedente faciendam, alii delinquentis emendationem poenarum esse finem contendunt. Sed illi aliam rem esse damni refarcitionem, aliam esse poenarum executionem in animam non revocant. Fur enim, quamvis rem furtivam red-

\*) Cf. C. G. GMELIN, praeceptoris quam maxime venerandi et Praefidis opus elegantissimum; quod inscribitur: Grundsätze der Gesetzgebung über Verbrechen und Strafen. Tübingen 1785. in quo §. 15. p. 34. fines poenarum executionis ab aliis scriptoribus erronee propositos et refutatos invenies.



dat, ideo tamen poena affici dignus est et debet, ne iterum tale delictum committat, quia, si hoc non fieret, impune ulterius delinqueret et finis a Legislatore propositus plane eluderetur. Hi emendationem qua internam, tantum ad forum internum et non externum pertinere obliviscuntur, quum emendatio sit abstentio a factis turpibus ex rationibus moralibus, legislator autem poenis inflictis, id tantum efficere intendat, ut in posterum tantum a delictis abstineatur, id quod *emendationis politicae* nomine insignire novioribus placet. Transeamus jam, exhausta, pro scopo nobis proposito, sectione praesenti, ad sequentem, quae inscribitur:

---

SECTIO IV.

*Omnis executionis poenarum finis in capitali supplicio et in poenis infamiae notam infligentibus necessario cessat.*

---

§. I.

Primum executionis poenarum finem in absterrendo delinquente ab eodem iterum committendo delicto consistere, in antecedenti sectione vidimus. Sed hic finis in capitali supplicio prorsus non attenditur. Sat quidem superque suppliciorum capitalium defensores hac poena inflicta hunc finem assecutum putant!! Quis enim mortuus iterum delinquere velit? Sane fateor, facillimus civitati, desidia et stupori deditae, modus, sine omni labore homine superfluo sese exonerandi! Sed quum in statu naturali quidem defensionis naturali usque in infinitum i. e. etiam cum caede aggressoris locus



fit relictus, quae vero ultimum tantum civitatis refugium esse debet, si alia nempe media non sufficiant, ne civitatis forma prorsus tollatur, et in hoc etiam casu excepto nunquam in forma poenae vita adimenda sit, civitati cui jus puniendi conceditur et media a delictis absterrendi praeter poenas capitales non deficiunt vel certe deficere non deberent, delinquentem poena capitali affiendi jus non competere, sole clarius meridiano apparet. Primus dein poenarum finis in poenae capitalis executione manifesto cessat. Delinquens enim ab eodem iterum committendo delicto non absterretur, sed potius ejus existentia tollitur, et poenae executionis notio prorsus eo modo abest. Quum sic poena proprie sic dicta cogitari non possit, hic non — ente capitalis poenae plene probato subsistere possemus. Sed in sequenti sectione alias adhuc contra supplicium capitale concurrere rationes demonstrabimus.

§. 2.

Etiā in delinquente dignitatis humanae rationem esse habendam, supra ostendimus. Hoc vero poenae executionis essentialiale in poenis infamiae notam delinquenti infligentibus corpus mutilantibus et eum, qua delinquentem aperte notantibus, e. g. in stigmate, aurium abscissione, plane negligi, quis non videt? Quomodo talis turpitudinis signo his poenis inflictis notatus, inter cives versari conetur? Quis ergo harum poenarum erit effectus? Nullo modo per poenam inflictam a delictis absterretur, talis homo, partim se ulciscendi animo motus, partim omnibus vitae subsidiis privatus, vel novis delictis, ad vitam certe sustentandam, committendis operam dabit, et praesertim latronibus, furibus, et id genus hominibus sese junget, vel sibi



ipſi, ſi honoris ſtimulus aliquis in eo ſuperest, deſperationi omni relictus, vim interet \*). Prudentis ergo erit legiſlatoris, cujus ſemper eſt, ne novis via delictis pateſcat (quum tales poenae inſiſtae procul omni dubio atrociorum et furtorum praecipua ſint cauſa) ſed ut potius obſtruatur, tales poenas e civitate proſcribere. Ad ſectionem jam ſequentem me converto, quae inſcribitur.

---

SECTIO V.

*Capitale ergo ſupplicium nec non poenae infamiae notam in-  
currentes e civitatum foris ſunt proſcribendae.*

---

§. I.

**E**ſſe jura hominis abſoluta, et inter hoc vitam quoque et honorem referri, haecce jura civitatem defendenda ſuſcipere inita ergo ſocietate civili non tolli, denique omnem in iis poenarum executionis finem ceſſare, ſupra, ut nobis quidem videtur, adeo probavimus, ut nihil jam ſuperſit. Inde poenam capitalem nec non poenas infamiae notam delinquentibus inſigentes, ut injuſtis-

---

\*) Recte dicit Ill. C. F. GERSTLACHER in Tom. XI. ſectione II. des Handsbuchs der deutſchen Reichsgeſetze ad C. C. C. Art. 198. annotatione 387. „Das Ruthenaushauen wird gemeiniglich als die erſte Weiſe zum Galgen ausgegeben. Denn weil ein ſolcher Menſch ehrlos wird: ſo iſt er genöthiget, alle Mittel zu ſeiner Ernährung aufzuſuchen, ſie mögen ſo unerlaubt ſeyn, als ſie wollen.“ quocum plurimi novioris temporis Jcti conſentiunt.



firmas, quae nempe hominis jura alienationi non obnoxia laedunt, e civitatum foris esse proscribendas, prono fluit alveo. Sed, ne nostra theoria perperam intelligatur, terminos habiles jam ponamus.

§. 2.

Nempe civitati, si aliter salva esse nequeat, homini vitam adimendi jus competere, ex defensionis naturalis jure, non negamus. Salus enim omnium salutis singulorum est praefenda. Sed semper hoc tanquam exceptio a regula, civitatis ultimum esse debet refugium, et casus in quo talis defensio obtinet, talis esse debet omnis ut de salute civitatis aliter restituenda dubitet. Sic omni jure senatus romanus Catilinae conjurationis socios vita privavit, quia aliter respublica salva esse non potuisset, et Clodius quam maxime injusto modo. Ciceronem consulem, de patria bene meritum, in exilium egit. Quis etiam hodie civitati jus denegat, hosti, ferro eam petenti, vitam adimendi? Alia vero res est vitam adimere, alia supplicio ultimo delinquentem adficere \*). Si ergo de hoc sermo est, delinquentem, ut poena adficiatur, vita privari posse negamus.

\*) Has duas res sic distinctas confundit Olbr. SCHMALZ in natürlichem Staatsrecht p. 98. ubi ait: „Der Verbrecher thut nichts anders als ein feindliches Heer. Nun hat wohl niemand die Frage aufgeworfen: ob ein Staat wohl befugt sey, einem feindlichen Heere eine Schlacht zu liefern und die feindlichen Krieger zu tödten? Und der Staat sollte nicht befugt seyn, den Feind zu tödten, den wir Verbrecher nennen? Die Anzahl macht hier nichts: die Gefangenschaft auch nichts. Denn es ist keine Gefangenschaft, gegen welche man das Leben versprochen hat, wie im Kriege, und über die Gränze des Rechts des Beleidigten läßt sich keine Regel des äussern Rechts



Ad quasdam adversariorum oppositiones respondere, nostrum jam erit. Primum poenae capitales, certe quoad homicidas, ex talionis jure defenduntur \*). Sed haec thesis, quae apud ferocissimas et incultas nationes, quippe quibus delictorum et poenarum proportionem sunt adhuc terra incognita, plurimum auctoris habet, apud ingenii cultu insignitas gentes merito omni valore destituitur, quia primum tali modo justa poenarum et delictorum proportio non invenitur et dein in specie proposita, qui nostra jura absoluta laedit, nunquam id jus nobis tribuit, ut eadem jura in ipso laedere, sed potius ut eum in posterum ab eodem delicto iterum committendo absterreere possimus. Si enim aliter statuas, efficies ut pro unius, duorum jura absoluta laedantur. In defensione naturali, ex qua, vitam, pudicitiam et bona etiam cum aggressoris caede tuendi jus nobis competit, adversarii quaerunt secundum contra nostram thesin argumentum. Sed ex hoc inculpatae tutelae moderamine, naturali, ut his verbis utar, quod civitas si salva aliter jam esse nequit semper adhuc, si leniora non sufficiant media, admittit, et exercet nil contra capitalium poenarum propulsionem sequitur. Tunc enim civitas, non poenae sed ultimae necessitatis impositae titulo, vitam adimit, et sicut civis, in quem periculosa fit aggressio in statum naturalem

---

„geben.“ Aperto confusi hic sunt defensionis naturalis et poenae fines!!! Militi certe unius civitatis, contra milites alterius civitatis pugnanti, vita, non poenae causa adimetur; verum hoc fit exdefensionis naturalis jure, quod in poenae capitalis executione exulat.

\*) Quod et noviter factum a Celeb. KANT in *f. metaphysischen Anfangsgründen der Rechtslehre*. Königsberg 1797.



redit. Silentio jam *praescriptionem* praetereo, quam pro poena capitali allegat scriptor quidam \*) nec non illud vulgare: *wer Menschenblut vergießet, des Blut soll wieder vergossen werden*: quod olim plurimi pro praecepto divino positivo universali venditarunt. Igitur nobis ad tertium idque ultimum, in quo adversarii potissimum refugium quaerunt, argumentum, respondere liceat.

§. 4.

Nempe illi, nulli magis poenae vim a delictis absterrendi inesse, dicunt, quam capitali. Ut taceamus, poenae executionis notioni et adeo iustitiae adversam esse absterritionem, quod ex supra adductis apparet, et quae in se injusta est poena, talem manere, licet forsan majorem illi vim absterrendi tribuere possimus, tantum sequentia argumenta addimus. Eae poenae, quibus inflictiis corpus doloribus affici videmus, e. g. dura captivitas, corporis castigationes cet, plus, ut a delictis abstineant, homines movent, quam aliae in quibus hoc non fit, inter quos omni jure poenae capitales sunt referendae. Mors enim est malum, cujus repraesentatio fieri non potest, igitur absterrendi medium esse nequit. Quis enim dicere potest, an cum doloribus nec ne? et sin illud quibuscum mors seu privatio vitae sit conjuncta? Si primum ad eos qui sanitate inconcussa gaudent, homines respicimus, illorum animum mortis cogitatio nullo modo movere potest, quia statim a sanitatis inconcussae sensu illa pellitur; doloribus enim deficientibus, repraesentandi sibi mortem, qua morborum ma-

\*) JACOBI in libello, qui inscribitur: Versuch einer Apologie der Todesstrafen.



lum analogum, occasio ipsi est abscissa. Ut mortem, qua malum, cogitare possemus, abstractio, quae itidem abstractionibus nititur, postulatur, ea vero qua talis est speculatio, cujus facultate paucissimi homines gaudent. Sensus nostrae existentiae, qui est fere sensualis, abstractam non-existentiae ideam nos cogitare non sinit. Quibus accedit rationibus, nostram educationis methodum eo, ut non timidi aequissimis mortem aspiciamus oculis, quam maxime tendere, et si adeo personam morte nobis ereptam lugeamus, id non fit ob mortis metum, sed ob damnum hujus hominis amissione nobis illatum. Sed forsitan, objiciunt ulterius, poena capitalis durior, quam dicunt qualificatam, hunc effectum absterrendi habere poterit. Verum ut supra jam prolatam rationem, ex qua etiam in delinquente humanae dignitatis ratio haberi debet, silentio omitamus, hoc advertariorum argumentum ex eo refutatur, quod tunc non mortis, qua talis, representatio, sed dolores potius cum ea conjuncti id efficiant. Ab inconcussa sanitate jam ad ingenii male culti homines nos convertimus. Hi, in quibus, qua hominibus sensualitate fere sola ductis, legibus poenalibus quam maxime locus est, minime mortem, qua malum metuunt, sed potius exoptant, quia vita cum doloribus conjuncta, cujus sunt impatientissimi, eis maximum incutit terrorem, ut inde morbo diuturno mortem praeferant; in diuturno morbo fatigatorem animo poena capitalis effectum terribilem non relinquit, ut eam potius exoptent, et experientia nos docet quotidiana, homines praesertim melancholicos, quibus, sibi ipsis vim inferendi defuit omnis animus, alijs hominibus innocentibus ideo vitam ademisse, ut vita cum doloribus conjuncta vehementissimis per capitis poenam privarentur, et quum inopinato poenae capitali carcer



substitueretur perpetuus, de injuria questos fuisse. Denique ultimo supplicio, inprimis cum infamia conjuncto effectum absterrendi inesse posse, statuunt adversarii pro non proscribenda poena capitali, Sed hi non vident, primo, hunc effectum tunc ex infamia, sed nullo modo ex mortis poena sequi, deinde hunc itidem vitae privatione deminui, denique, humanam dignitatem, cujus quoque in delinquente ex principio supra adducto, ratio haberi debet, per infamiam inflictam omnino laedi.

## §. 5.

Cum §. antecedenti dictis plane multi veterum Graecorum et Romanorum consentiunt, quorum paucos hic adducere nobis liceat. Sic e Graecis ÆSCHYLUS in Prometheus victo v. 753 — 757. p. 67. editionis Schütziæ Jonem loquentem inducit:

Τι διτ' ἐμοὶ ζῆν κέρδος, ἀλλ' ἐκ ἐν ταχεί  
 Ἐγγύ' ἐμαυτὴν τῆσδ' ἀπο σὺφλε πέτρας.  
 Ὅπως πέδω σκηψάσα, τῶν πάντων πόνων  
 Ἀπὸ πλάγῃ; κρείσσον γὰρ εἰσαπαξ θανεῖν  
 ἢ τὰς ἀπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς.

ques versus sic vertere liceat:

Quid ergo lucri mihi est, vivere? et quidni potius confestim

Ab hac aspera petra me praecipito

Ut corpore ad solum illiso ab omnibus malis

Liberer. *Melius est enim, semel mori,*

*Quam per omnem vitam malis affici.*

Post illum prodeat EURIPIDES, qui in Hyppolito v. 1041 — 1050. p. 114. edit. Valkæner, Hyppolitum et Theseum sic loquentes inducit:



ΙΠΠ. Και σε γε καρτα θαυμαζω, πατερ',  
 Ει γαρ συ μεν παις ησθ', εγω δε σος πατηρ  
 Εκτεινα τοι σ'αν, κκ Φυγαις εξημικν  
 Ει περ γυναικος ηξικς εμης θιγαιν.

ΘΗ. Ωσ αξιον τοδ' ειπας, εκ ετω θανη  
 Ωσπερ συ σαυτω τονδε προθικας νομον  
 Ταχυς γαρ Αδης ραστος ανδρι δυστυχει  
 Αλλ' εκ πατρωας Φυγας αλητευων χθονος,  
 Ξενη επ' αιαν λυπρον αντλησεις βιον  
 Μισθος γαρ εσιν ετος ανδρι δυσσεβει.

quos versus sic vertit GEORGIUS RATALLERUS:

HIPP. Mira quoque tua, pater, videntur: si pater  
 Essem tuus, lectumque stuprasses meum,  
 Non exulem te esse juberem, occiderem.

THE. Quam digna te locutus! haud moriere sic,  
 Ut legis exemplum ipse proponis, *nimis*  
*Mors mite supplicium scelestis.* Sed solo  
 Pulsus paterno, per aliorum errans plagas,  
 Vitae trahes miserabiles tuae dies.  
 Hanc luere poenam par viros est improbos.

Post Graecos Romanorum duo viri clarissimi, CICERO et SALLUSTIUS prodeant, quorum ille in orat. IV. cap. 4. in L. Sergium Catilinam sententiam Caesaris his verbis complectitur: „al-  
 „ter (Caesar) intelligit mortem a Diis immortalibus non esse  
 „supplicii causa constitutam: sed aut necessitatem naturae, aut la-  
 borum ac miseriarum quietem esse.” Hic in bello Catilinario  
 cap. 51. Caesarem in senatu romano de effectibus poenae capi-



ralis tristibus loquentem inducit, quem locum, ni esset nimis longus, lubenter hic apposuissem. Plura classicis ex auctoribus exempla adhuc proferre possem, sed haec pro instituti ratione sufficiant.

---

§. 6.

Et jam, ultimo adversariorum propugnaculo expugnato, quid legesatores poenam extirpandi capitalem ulterius impediatur? forsitan hoc, quod non sine difficultate, poena alia substitui possit. Poenam capitalem esse injustam et executionis poenae fini adversam ostendisse jam sufficeret. Sed, delictis omnibus, quibus poena infligitur capitalis, bene consideratis, in his omnibus ultimo supplieio locum esse non debere, mox apparebit in sectione sequenti.

---

SECTIO VI<sup>ta</sup> eaque ULTIMA,

*In qua disquiritur, quanam poena pro capitali sit substituenda.*

---

§. 1.

**E**x instituti nostri ratione delicta, quibus ex legum positivarum criminalium constitutione poena infligitur capitalis, jam consideremus, ut quanam sit substituenda poena, ostendere possimus. Primum de delictis, quae immediate in civitatis, deinde de iis, quae in singulorum civium perniciem tendunt, loquamur. Locum ergo primum obtineat perduellio, cujus poena atrocissima in l. 5. C. ad leg. Juliam Maj. invenitur, quae in Aurea Bulla a Carolo IV.



repetita est. Eandem functionem hodie quoque adhuc obtinere, ut tantum poenae gladii dissectio in quatuor partes in C. C. C. Arr. 124. sit substituta, sententia Doctorum juris criminalis est unanimes. Finem poenae secundarium silentio omittimus, quem Imperatores Arcadius et Honorius assequi studuerunt, nempe securitatem a perduellis filiis, notamus tantum politione regulis sapientis parum convenire et omnibus justitiae principiis repugnare, dum filios perduellis egenos et pauperos esse juberent, ut perpetua egestate sortentibus mors iis esset solatium et vita supplicium, qui finis tantum abest, ut hac injustitia obtineatur, ut potius filii talis perduellis, paupertati et omni desperationi relictis et vindictae furis agitati, omnia contra civitatem et imperantem conaturos esse, multo probabilis sit. Verum et ex hujus natura delicti, omnem in eo cessare poenae executionis notionem, sed potius defensionem naturali jam locum esse relictum, sole elucet clarius meridiano. Poenae enim quamvis in societate civili locum invenientes, in perduelle, qui omnia societatis vincula rumpere minatur et qua hostem \*)

\*) Veteres jam sic cogitasse Jureconsultos romanos eleganter innuit: CAJUS in l. 234. §. de verborum significatione, dum ait: „quos nos *hostes* appellamus, eos *Veteres* perduelles appellabant, per eam adjectionem indicantes, cum quibus bellum esset.” Cum eo consentit. CICERO officior. I. 12. verbis: „animadverto, quod, qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei „mitigante”. Sic quoque nostri majores, homicidium tantum pecuniaria poena afficientes, ignavos vero proditores et transfugas arboribus suspendentes cogitasse videntur, quia nempe Germani existentibus hominibus his turpibus civitatem salvam non esse putarant. Cf. Celeb. J. C. MAJERI, praeceptoris quam maxime venerandi: „historia juris germanici antiquissimi circa homicidium §. 9.”



civitatē sese ostendit, omnino cessare debent et status defensionis naturalis quam maxime tristis seu bellum locum habet. Hinc civitati, tali homine adeo cum ejus caede, omnibus modis sese liberandi, jus competere, quis est qui dubitat? cum jam salus civitatis aliter haberi nequeat. Sic etiam jam Catonem in oratione illa, occasione Catilinae conjurationis senatu coram ramano habita, cogitasse, et bene poenae et defensionis naturalis notiones distinxisse, quum e contrario Caesar ex poenae et defensionis naturalis commixtione et inde facta provocatione ad legem Porciam aliasque leges romanas vitae privationem a conjuratis amovere studeret, testis est SALLUSTIUS in Belli Catilinarii cap. 52. dum ait Cato: „Longe mihi alia mens est, cum res atque pericula nostra confidero et cum sententias nonnullorum mecum reputo. Illi mihi differuisse videntur de poena eorum, qui patriae, parentibus, aris atque focis suis bellum paravere: res autem monet, cavere ab illis magis, quam quid in illos statuamus, consultare. Nam caetera maleficia tum persequere, ubi facta sunt; hoc, nisi provideris, ne accidat; ubi evenit, frustra judicia implores.”

## §. 2.

Crimen sic dictae laesae majestatis nunquam mortis poenam meretur, sed potius carcere vel perpetuo vel temporario rectius punitur. Criminis falsae monetae id genus quod falsis cudendis monetis perficitur et nostris legibus vivicomburii poena crudelissima punitur, quia qua species criminis laesae majestatis consideratur, quod tamen non est, quum potius sit species falsi, quia id committens non animo regalia laedendi sed potius, ut lucrum faciat turpe, delinquit, perpetuo carcere addito labore duro punien-



dum puto, quum fuga laboris sit hujus delicti potentissima causa. Mitior carceris poena fancienda erit in iis hujus delicti speciebus, in quibus leges particulares aut praxis hodie vivicomburio gladium substituerunt.

§. 3.

Ad sacrilegium et quidem hujus delicti eas species quibus mortis poena infligitur, transeamus, quae in hoc quoque crimine tanquam specie furti est abolenda. Qui id committunt, eos equidem temporario ergastulo, optime otium inutile pellente, punirem, et ex eo haud prius eos dimitterem, quam emendationis politicae signa dederint luculenta. Ergastula nobis adhuc deficere bene instituta et quidem ea HOWARDI \*), non ignoro; Sunt enim, proh dolor! fere ejusmodi, ut homines ibi inclusi, magis omnem legalitatis et moralitatis sensum amittant, quam nanciscantur, verum haec nihil pro poena capitali faciunt et civitati, jus tales homines vita privandi competere non potest ob praetextum, quod ei adhuc desint talia instituta. Omnes quoque furti species pro modo periculi in civitatem eodem modo punirem.

§. 4.

Homicidium, gravissimum, cujus homo reus fieri potest, delictum, in quo plurimi adhuc et ex jure talionis ipse KANTIANUS, poenae capitali insistent, prout est vel simplex vel qualifi-

\*) Noticiam hujus viri humanitatis amantissimi invenies in Celeb. SEYBOLDI quam maxime venerandi praeceptoris et patroni, historischem Taschenbuch von 1797. p. 33. Ergastula quam bona sint instituta ab HOWARDO: testis est: Allgemeine Zeitung 25. et sequentium Decembris 1798.



catum, modo lenius modo atrocius punirem, sed semper perpetuo ergastulo ad Howardi modum instituto i. e. ubi simul emendationis politicae delinquentis ratio habetur, et gravissimi generis labores ei injungerem, sed nunquam homicidium morte luendum puto. Salus enim civitatis, et securitas per id, quod perpetua delinquens libertatis amissione puniatur, aequè obtinetur. Deficiunt proh dolor! fateor, ut saepius jam monui, talia in nostra Germania, instituta, rite formata. Sed inde non justitia poenarum capitalium sed id tantum sequitur officium civitatis urgentissimum esse ejus rei curam gerere. Aliter enim si statueres, pro levissimo delicto homines morti tradi possent, praetextente civitate, talia sibi deficere instituta, quod tamen esset quam maxime injustum. Antiquitus et hodie adhuc, si jura defensionis civitas adipiscitur naturalis vita delinquentes privantur, ut in hostibus et societatibus latronum videmus, neque id reprobamus, quia civitas aliter salva esse nequit. Verum si jam institutum, quod constituere est civitatis, ad modum Howardi fieret, tunc, quia cessante ratione lex, quae naturalem defensionem per caedem rei concedens, necessario cessaret, omni jure et in hoc sensu poenae capitales cessarent.

§. 5.

Ad rapinam jam transeo, cujus poena est capitalis ex Art. 126. C. C. C. sed ea inprimis sanae adversatur regulis politicae. Quilibet enim, qui delinquit, delictum celare studet et cum rapinae jam capitalem poenam inslictam iri raptor sciat, igitur poena capitalis nihil aliud efficeret, quam ut raptor ad magis celandum delictum eum, cujus rapuit bona, occidat. Ex

E



furti igitur principis, nisi aliud delictum e. g. homicidium concurreret, temporario ergastulo talem hominem puniendum puto, ut tamen propter vim personae illatam augmentum aliquod adderem.

§. 6.

Stupri violenti poenam capitalem in C. C. C. Art. 119. constitutam in eam ergastuli temporarii mutarem, sicut et adulterii, bigamiae incestus et raptus, modo pro diversitate horum peccatorum (cum vere non sint delicta) mox leniorem, mox duriorem poenam statuerem. Blasphemiae, haereseos, magiae et apostasiae delicta, eorumque poenam olim saepius capitalem non operae pretium esse duco, hic ulterius judicare.



1018

ULB Halle  
005 361 877


3











*Christ. Theophil. Gmelin*

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
SUPPLICIO CAPITALI ET POENIS  
INFAMANTIBUS E CIVITATUM  
FORIS PROSCRIBENDIS.

158

1799, 2.

20

QUAM  
CONSENTIENTE ILLUSTRIS ICTORUM ORDINE  
PRAESIDE  
VIRO ILLUSTRIS ET CONSULTISSIMO  
DOMINO  
CHRISTIANO THEOPHILO  
GMELIN.

J. U. D. ET PROF. PUBL. ORDIN.  
SERENISSIMI DUCIS WIRTEMBERGICI CONSILIARIO,  
PRO GRADU DOCTORIS  
RITE OBTINENDO  
PUBLICE DEFENDET  
AUCTOR  
FRIDERICUS CAROL. LUDOV. TEXTOR  
MOENOFRANCOFURTANUS.

TUBINGÆ  
Die Septembris MDCCXCIX.

TYPIS REIS- ET SCHMIDIANIS.

